



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXVIII. Continuatio ejusdem Historiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

stable domicilium propter habitus malos habuit, reclamante, & reluctante nostra corrupta natura, exclamat quidem, & multum discepit nos; sed hoc clamore, sicut Christus, terreri non debemus, quin antiquum hospitem serio & constanti decreto expellamus, & nos ipsos per internam ac externam Mortificationem mortuis similes faciamus; ut in vero sensu etiam dici possit: *Quia mortuus est.*

PUNCT. III. *JESVS autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.* Marc. v. 26. Sic à peccatis, malis consuetudinibus, & habitibus per vires naturales & proprias ad Vitam Spiritualem & ad operationes Vitæ Spiritualis surgere non possemus, nisi Deus manum nostram teneret, & apprehenderet per Gratiam, nec per subtractum auxilium Gratiæ retraheret. Quemadmodum verò nemo vitam corporalem sibi adimit, spe miraculosa Resuscitationis; ita nec Spiritualem sibi quisquam auferat, cùm æquè parum suis viribus & conatu ad eandem resurgere queat; & præterea per ipsam Animæ mortem se indignum reddat gratuita Resuscitatione Divina.

## MEDITATIO CCCXVIII.

### *Continuatio ejusdem Historie.*

PUNCTUM I. Tunc accesserunt Discipuli ad JESVM secretò, & dixerunt: *Quare nos non potuimus eijcere illum?* Dixit illis JESVS: propter incredulitatem vestram. Matth. 17. v. 18. Sic postquam cum turba in procuranda Salute Proximi versati sumus, familiari ad DEVM regressu ab eadem identidem nos subducere

P 5

debemus

debemus frequenti animi Recollectione , mentis pe  
Examen discussione , nostrique per Meditationem  
cognitione , & investigatione causarum impedien-  
tium Proximi Salutem , ac Conversionem : quas pa-  
tebit non tam ex parte Proximi , quam ex nostra  
tenere ; sicut ex Discipulorum exigua Fide , & Fidu-  
cia accidit , ut nequirent ejicere malignum , & mutu-  
Spiritum.

PUNCT. II. *Dixit illis IESVS : propter incredili-  
tatem vestram. Amen quippe dico vobis : si habueritis Fidem ,  
sicut granum sinapis , dicetis monti huic : transi hinc illuc ,  
transfribit , & nihil impossibile erit vobis.* Matth. 17. v. 19  
Per Fidem , ut patet , intelligitur hic Fiducia , le-  
Confidentia in DEUM , quae tam efficax ad Conve-  
rsionem Proximi à Christo asseritur , ut , etiam si ista  
ratione suae perversitatis sit similis homini muto , pen-  
simè à diabolo habito , & ipsius Conversio nobis fi-  
cta difficultis , quam montis transportatio , tamē per Divi-  
nam Gratiam & Auxilium tam facilis futura sit , quam  
si solo verbo montem alio transferre concessum esset.  
Debet autem ista nostra Fides esse parva , sicut gra-  
num sinapis , scilicet per Humilitatem , & Diffiden-  
tiam de nostris viribus ; & simul efficax , per usum me-  
diorum : sicut granum sinapis Solis & Cælestium ra-  
diorum influxibus ( quibus æquè indiget , quam nos  
indigemus Auxilijs Divinis ) cooperando , nihil ex  
parte sua negligit , ut in arborem excrescat. Erit  
autem Fides nostra talis , si de nullius hominis Salute  
& emendatione desperemus , Deo confisi. Similem  
Fiduciam habere debemus ad ejiciendum ex Anima  
nostra quemcunque Spiritum malignum , & consue-  
tudinem vitiosam , quamvis radicatam.

PUNCT.

PUNCT. III. *Hoc autem genus non eiicitur, nisi per Orationem & Jejunium.* Matth. 17. v. 20. Scilicet hominis peccatoris Convercio, vel nostri ipsorum emendatio non efficaciter procuratur sine his duobus ( ad quæ assumenda non nisi firma Fiducia inducit ) nempe sine Oratione impetrante specialia Auxilia, & intellectum nostrum illustrante, ut videat, aliisque proponat proportionata media, ac motiva; & sine Mortificatione, quæ est Jejunium & Abstinentia ab omni affectu intemperante & immoderato ad creaturas, vel etiam corporis qualiscunque afflictatio. Unde pro Conversione Animarum privatæ instructioni, & admonitioni adjungenda est Oratio, & pænarium Operum usurpatio.

## MEDITATIO CCCXIX.

*Christus iterum Apostolis Passionem suam prænunciat.*

Matth. 17. v. 21. Marc. 9. v. 29. Luc. 9. v. 44.

PUNCTUM I. *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam* ( id est , festinantes transibant Galilæam , in qua teste Matthæo versabantur ) *Docebat autem Discipulos suos, & dicebat illis: quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.* Marc. 9. v. 29 Hoc Vaticinium eorum, quæ passurus erat, Christus Discipulis suis sæpius repetiuit, ut eorum eventu eò minus scandalizarentur, sed potius ad Imitationem incitarentur tum ipsi Apostoli, tum nos , qui illud eramus lecturi , vel meditaturi. Nam etiam nos in manus hominum tradimur , cùm DEVS